



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro omnibus in purgatorio detentis, Precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

**GLORIFICATIONES SEV GAUDIA SPECIA-
lia XV. Domini Iesu Christi, una cum suis peccati-
onibus.**

*Iesu Christi anima sanctissima, vii post expirationem in cruce descendens ad limbum
sanctorum Patrum.*

GLORIFICATIO I.

Ave altitudo & gloria omnium Sanctorum, et victoriosissima
Christe Iesu: Laudo, benedico & adoro te pro illo ineffabili gaudio,
quo cum diuinitatis potentia anima tua sanctissima, morte deu-
icta, ad inferos descendens, constrictis portis mortis, Diuina clari-
tatis iubar coruscus, limbum es ingressus, atque à diu te expectan-
tibus Patriarchis & Prophetis, ceterisque electis animabus Patrum
cateruatim tibi occurrentibus, postulata de offensis ventis, suppliciter adoratus,
cum laudum ineffabili iubilo es susceptus: illis cum lachrymis præ gaudio claman-
tibus: Aduenisti ò desiderabilis quem expectabimus in tenebris Aduenisti re-
demptor mundi, aduenisti, quem desiderantes quotidie expectabamus, eo quod
iam sua oracula & vaticinia per te cernerent gloriosè adimpleta.

Pro omnibus in purgatorio detentis, Precatio.

Descendant nunc misericordissime Iesu per hanc ineffabilem pietatem tuâ,
gratia & misericordia tua super animas famulorum famularumque tuarum,
parentum & propinquorum meorum, benefactorum & fratrum nostrorum,
recommendorum & omnium fidelium defunctorum: vt eas à pœnis, quas pro
peccatis suis merentur, eripias, & ad gaudia æterna perducas, Amen.

*Iesu Christi anima, vii triduo ante resurrectionem suam morata fuerit cum animabus
sanctis à limbo liberatis.*

GLORIFICATIO II.

Ave pulchritudo sanctorum Angelorum, & requies æterna omnium fidelium,
Iesu rex optime: Laudo, benedico & adoro te pro illo ineffabili gaudio, quo
illo optabili triduo cum patribus diuinitatis tue contemplatione (omni
miseria procul pulsa) iam beatificatis, in laudibus & hymnis ipsorum persistens,
gaudebas te omnes tribulationes, totius mortis pœnas vicisse, & tot homines tua
pretiosissima morte ab æterna damnatione liberales: sed multo magis de tanto &
sali privilegio à Deo Patre tibi donato exultabas, quod tu hos solus, & nemo alius
perficere potuisti.

Pro animæ puritate veri, gaudij infusione, Precatio.

O dator gaudij, & luctus subleuator dulcissime Iesu, per tuæ diuinitatis po-
tenciam, destrue in me omne quod tibi displicet, per tuæ claritatis virtutem,
purga & illumina animam meam à tenebris peccatorum & propter om-
nium sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, aliorumque electorum tuorum
omnium merita, visita, resice & conforta me semper tua ineffabili suauitate, vt
omnes consolationes vanas & inutiles funditas à me rejiciam & contemnam, &
post hanc vitam ad illud ineffabile gaudium, quo sancti Patres à te redempti per-
ducti sunt, per tuam misericordissimam clementiam perueniam, Amen.